ANTONII FLOREBELLI MVTINENSIS PANEGYRICVS

CAROLO V. ROM. IMPERATORI DICTVS,

AD

Superiorum temporum illuſtrationem,

EDITVS EX BIBLIOTHECA IOACHIMI MORSI,



LVGDVNI BATAVORVM
EXCVDEBAT IACOBVS MARCI.

cIↄ Iↄ c xix.

GENEROSIS,
NOBILISSIMIS AC LITERATISSIMIS
IUVENIBUS,

DNO: THEODORO
ET
DNO: BENEDICTO
AB ALEFELT,
HOLSATIAE EQUITIBUS
FLORENTISSIMIS,
EORUMQUE
ITINERUM DUCI,
EXIMIO,
CONSULTISSIMO AC POLITISSIMO
VIRO,
DNO: ALBERTO CRUSIO,
MUSARUM GRATIARUMQUE OCELLO,
DOMINIS ET AMICIS
ÆTERNUM
HONORANDIS, AMANDIS,
PANEGYRICUM
HUNC
L. M.
D. D. D. C.
EDITOR.

A D

CLARISSIMVM PHILOLOGVM

DN. IOACHIMVM MORSIVM

PATRICIVM HAMBVRGENSEM,

LVGDVNO-BATAVORVM IN BRITANNIAM cogitantem.

ERgo Caledonios tanti eſt vidiſſe Britannos,
Vt maris hiberni nil vereare fidem?
Stat Iovis irati furias, Boreæque frementis,
Ærato, Morſi, *pectore ferre minas.*
Difficiles, fateor, ventos, hiememque voverem
Præcipitem, & triſti ſidere mille moras:
S*i qua propoſitum, atque amplexibus invida noſtris*
Orando poſſem flectere fata retro.
At quando ſemel hoc ſtetit irrevocabile: voto
Adverſo votis cogor obeſſe meis.
Ponite rauco ſalo, requieti, prælia, venti:
Parcite dilectam mi temerare ratem:
Non vehit hæc læſo conflatas numine merces:
Non vehit hæc Martis bella nefanda feri.
Explicat innocuus Muſarum vela ſacerdos:
It ſanctum Phæbo per freta veſtra caput.
O Deus, ut ſalvus findat mare, Morſius, *unus*
Qui potes, ut repetat; fac bone, ſalvus idem.
At tu, noſter amor, valeas: vale, optime Morſi,
Et ne amor in ventos tecum eat ille cave.

MARTINVS RVARVS.

ANTO-

Antonii Florebelli Mutinensis Panegyricus Carolo V. Romanorum Imperatori Dictus.

SAEpe ego veterum Romanorum mores & inſtituta mecum diligentius conſiderans, invictiſſime Imperator, cum aliis in rebus eorum ſoleo ſapientiam admirari; tum illud præcipuè rectè, & ſapienter, ab eis fuiſſe inſtitutū atque obſervatum iudico, ut eorum duces, atque Imperatores, devictis hoſtibus unà cum victore exercitu triumpharent. Hinc enim fiebat, ut cum benè meritis de patria civibus, meritos honores tribuerēt, tum alios etiam ad amorem virtutis, & ad benè merendum de Rep. incitarent. qui mos tamdiu hac in urbe manſit, quamdiu Imperio domicilium præbuit, & in ea bellicę laudis, & gloriæ ſtudia viguerunt. Poſtea vero quam ſedes à Conſtantino Bizantium tranſlata eſt, cum hæc urbs, non iam Imperij, ſed Religionis caput,

ac domicilium eſſet, hæc civitas mille ferè abhinc annis nullum triumphum ſpectaverat. Extitiſti tandem aliquando, tu Cæſar, quem unum verè appellare Imperatorem poſt Carolum illũ Magnum poſſumus, qui illam antiquam triumphandi conſuetudiuem revocares, quique, quod maximè proprium Imperatoris munus eſt, ad tuendam Religionem, & debellandos hoſtes, ſedatis prius inteſtinis Reip. malis, omnem animi curam, ſolicitudinemque conferres, ut minimè mirum videri debeat, ſi eos ſemper tuarum actionum omnium & conſiliorum exitus habuiſti, quos tua iſta præſtans erga Deum Religio, in Chriſtianam Remp. ſtudium promeretur. Vidimus igitur te confecto Africano maximo, graviſſimoque bello, ac memorabili de Turcis parta victoria triumphantem, eâ pompâ, atque eo ornatu, qui triumphantem decebat Cæſarem, comitatum ducibus tuis & flore victoris exercitus, proſequentibus omnium Chriſtianorum principum, ac liberarum civitatum legationibus. Vidimus occurrentem tibi Ampliſſimum Senatum, effuſam ſtudio videndi tui infinitam hominum multitudinem, gratulantem tibi hunc Optimum, Sapientiſſimum Pontificem. Nec perſpexiſti tu modo omnium erga te hominum ſtudia, lætitias, gratulationes, ſed ipſi medius fidius huius urbis colles, ut mihi videbatur, gratulari tibi de victoria, & adventu tuo, geſtiebant. Tandem enim Chriſtiana Reſp. tua incredibili virtute & admirabili ſapientia, eis quæ tamdiu perpeſſa eſt malis, calamitatibuſque, defuncta eſt: diſcuſſa tandem

dem eſt ſuperiorum caligo temporum, adeoque crudeliſſimorum hoſtium Religionis noſtræ minas, atque arma, deſiimus timere, ut etiam certam in ſpem veniremus fore propediem; ut Reſp. in antiquum honoris & dignitatis gradũ reponatur. Reſpexit enim Deus populum ſuum, ac iam ſatis graves peccatorum pœnas ab eo fuiſſe ſtatuit perſolutas, qui te Chriſtianæ Reip. præpoſuerit, ut unà cum hoc integerrimo, præſtantiſſimoque Pontifice, illam ex ſummis ereptam periculis ſervares, & impiorum hoſtium furorem,audaciam que,contunderes. Ac tu compoſito Italiæ ſtatu, & bis iam fugatis, ac ſuperatis Turcis, non ſolum nobis adverſarum rerum finem attuliſti, ſed initium etiam ſecundarum. Quamborem iure, ac merito, adventus tuus, ſummis honoribus,& incredibili omnium generum, ætatum, ordinum, gratulatione, plauſu, lætitiaque exceptus eſt.

Eius enim unius diei, quo triumphans urbem ingreſſus es, lætitia, omnis medius fidius illa ſuperiorum annorum triſtitia compenſata eſt. Sed illi quidem, quos tibi Paulus Pontifex Max. & populus Rom. honores habuit, etſi eximii fuerunt, atque præclari, tamen tuis in remp. meritis nequaquam pares fuiſſe fatendum eſt. nam illi quidem certè uſitati fuerunt, tua vero merita ex novo, & inuſitato quodam ſunt genere. Neque hæc culpa illorum eſt, quod te paribus præmiis minime remunerati ſint, potiuſque tua ſumma laus eſt, quòd eis remp. beneficiis affeceris, pro quibus accipere par nihil poſſes. Nam ut de reliquis tuis divinis in

eam meritis ſileam, quæ quidem nulla umquam delebit oblivio, nulla longinquitas tẽporis obſcurabit, iſtis recentibus quodnam obſecro poteſt non dicam prœmium, ſed genus par orationis inveniri? Etenim Rex Turcarum non contentus Aſia, & magna parte Europæ, propter inexpiabile in Chriſtianos odium, & incredibilem quandam Imperii ſitim, ardebat cupiditate reip. noſtræ evertendæ funditus, atque delendæ. Cumque nondum videlicet cognoviſſet, quo cum hoſte ſibi res, ac certamen futurum eſſet, ſperabat ſe, quod ſuperioribus acciderat temporibus, poſſe per inertiam, & ſocordiam noſtram, reliquas Europæ provincias ad regnum, & ditionem ſuam adiungere. Itaque cum infinito peditatu, equitatuque, quaſi calamitoſa quædam tempeſtas, ſuperioribus annis in Pannoniam penetrarat, Viennamque obſederat, maximam, & clariſſimam urbem, ſperans eis refractis tanquam Germaniæ clauſtris ſe penitus in Reip. viſcera irrupturum. quo quidem tempore (ignoſce nobis Cæſar) non poteramus interdum, non vehementius commoveri. non quo virtuti, aut fælicitati diffideremus tuæ, ſed hoſtium incredibilis multitudo timorem nobis, ac ſollicitudinem afferebat. Sed ne illi nobis diutius inſultarent, tua virtute ac celeritate perfectum eſt. Nam cum intelligeres, quanto in diſcrimine ſalus omnium Chriſtianorum verſaretur, ſuperatis incredibili celeritate Alpibus in Pannoniam cum tuo fortiſſimo, atque invictiſſimo exercitu, advolaſti, poſitiſque penè in conſpectu hoſtium caſtris, & facta

pugnandi

pugnandi copia, adeo inſolentem illam, ac immanem exterruiſti Beluam, ut qui iam Europæ totius imperio ſe potiturum ſperaverat, ſuis rebus diffidens, ac de ſalute deſperans, non modo prœlium detractarit, ſed etiam magnâ parte ſuorum amiſſâ turpiſſimè in intimum Regnum ſuum aufugerit. Quamobrem tuo tu ſtatim adventu Viennam obſidione, populos chriſtianos cæde, vinculis, & cruceatibus, Remp. maximi & calamitoſiſſimi belli metu liberaſti. Hac ille tàm inſigni clade, atque ignominia, mirum quantum animo fractus, ac debilitatus. Sed tamen cum ſe vix tandem ex fuga, & pavore collegiſſet, ira, & ignominiæ dolore vehementer exarſerat. Itaque quando ea non ſucceſſerat, ſtatuerat aliâ viâ Remp. adoriri, cumque intelligeret Africæ oram maritimam eſſe imprimis oportunam ad oppugnandam Remp. ſi ea potitus eſſet, illinc Epiro, hinc Africa uſurum ſe pro vallo & aggeribus ad obſidendã Italiam deſtinarat. Quare, Arriadenum hominem impigrum, eundemque chriſtiani nominis hoſtem infeſtiſſimum, maximæ, & ornatiſſimæ claſſi præfecerat, & traiicere in Africam iuſſerat. Hic ego ſine magno animi dolore commemorare non poſsũ, quas tum Arriadenus chriſtiano nomini labes inuſſerit, quantum huic civitati, ac toti Italiæ terrorem iniecerit, quantum denique Remp. in diſcrimen adduxerit. qui non prius in Africam navigarit, quàm Calabriæ ora latè maritima depopulata, & compluribus incenſis atque inflamatis oppidis multos inde mortales in ſervitutem abduxiſſet. Neque

eo contentus fuit, ſed propius urbem acceſſit, Fundoſque, & Terracinam, & alia quædam oppida improviſo adventu cepit, atque diripuit. Cum hinc (ô tetrum & luctuoſum ſpectaculum) propè hoſtilis claſſis, nobilium oppidorum direptio, Terracinenſis & Fundani populi calamitates, & tectorum incendia, cernerentur. Nec vero tanto & tam repentino periculo perculſa hæc civitas, atque attonita, diſpiciebat quid agere, quid conſilii capere, quam viam inſiſtere tutandę ſalutis, & depellendi periculi oporteret; ſed fugam ſpectans, & ad preces, ac vota converſa, Deum ſupplex orabat, ut à populo ſuo crudelitatem hoſtium, à ſanctiſſimis templis impias, & funeſtas faces, ab urbe domicilio Religionis vaſtitatem, ab univerſa Rep. peſtē, exitiumque, depelleret. Tandem hoſtes cum per oram hanc maritimam ſinè ullo metu ad arbitrium ſuum eſſent pervagati, & miſerorum oppidorum ſpoliis, captiviſque, omnia navigia compleſſent, læti, atque alacres, abierunt; ita ut oculos tamen crebro ad hæc littora retorquerent, ægrè videlicet ferentes, quod hæc urbs eorum crudelitatem, ac ſęvitiam, effugiſſet. Cum vero Arriadenus ad Africam appuliſſet, Tunetum urbem maximam, ac eius Regni caput, expulſo inde Rege, dolo, atque inſidiis, cæperat. ex quibus rebus tantos ſibi ſpiritus ſumpſerat, ut brevi ſe univerſam Italiam bellorum fluctibus obruturum eſſe confideret. Verum has tu Cæſar impendentęs tantorum bellorum tempeſtates, atque procellas, virtute, conſilio, vi, copiis, celeriter repuliſti. Nam ętſi videbas,

quam grave, & periculoſum bellum, ſuſciperes, tamen quod proprium fuit ſummæ cuiuſdam fortitudinis, hoc eſt tuæ, tuam ſalutem communi ſalute, poſteriorem ducens, omnibus caput tuum obiicere periculis, quàm Reip. deeſſe ſummo, ac difficillimo illius tempore, maluiſti. Itaque cum paraſſes ſumma celeritate magnam claſſem, & fortiſſimum exercitum conſcripſiſſes, Barchinone conſcendens graviſſimo anni tempore, cum omni claſſe in Sardiniam traieciſti, indè continuo in Africam, ut hoſtes prius bellum geri ſenſerint, quàm audierint parari. Cum autem ſupplex ad te in caſtra veniſſet is, qui Rex Tunetinorum fuerat, opemque & auxilium tuum imploraſſet, ei tum, quamquam à religione noſtra abhorrens eſſet, tamen illius fortunam miſeratus, fidem & dexteram porrexiſti, planeque oſtendiſti bellum id à te non propter avaritiam, ac dominandi cupiditatem; ſed ob ſtudium, ac defenſionem Reip. quæ in ſummum diſcrimen venerat, ſuceptum fuiſſe; Maximè vero Arriadenum aduentu tuo perculſum eſſe conſtabat, quippè qui te ipſum eò minimè traiecturum eſſe ſperaſſet. Sed is tamen omni ſe bellico inſtruxerat apparatu, ingentes equitum, & peditum manus ex finitimis regionibus conduxerat, Tunetum, & caſtellum, in faucibus portus Tunetini ſitum, quod Golletam vocant, firmiſſimis propugnaculis & magnâ vi æneorum tormentorum muniverat. At tu paucis poſt diebus, quam in Africam veneras, primum caſtellum illud, terra marique adortus, valido reſiſtente Turcarum præſi-

præſidio, tuis acerrimè dimicantibus expugnaſti. Biduo poſt cum inſtructas legiones ad Tunetum oppugnandum adduceres, Arriadenus magnitudine copiarum ſuarum fidens, tibi obviam exiit. tum vero gaviſus tibi factam pugnandi poteſtatem, omnia non modo boni Imperatoris, ſed etiam ſtrenui militis officia, & munera, præſtitiſti. Nam & milites oratione, ac vocibus, ad prœlium incitabas, & ipſe qua confertiſſimi hoſtes erant, fortiſſimè dimicabas. Et cum acriter aliquamdiu pugnatũ eſſet, & multa iam hoſtium millia cecidiſſent, ſuſtinere diutius ardorem, atque impetum tuorum illi minimè potuerunt, ortoque ab equitibus fugæ initio, celeriter pedeſtres etiam copiæ verſæ in fugam ſunt. Dux autem hoſtium, qui Tunetum refugerat, cum te ad murum accedere cum victore exercitu cognoviſſet, non auſus eſt, neque urbem defendere, neque in arcem, quamvis eſſet egregiè manu, & natura loci munita, confugere, quippè cum nullo pacto virtuti tuæ obſiſti poſſe iudicaret: ſed frendens, fremenſque, tantum regnum tam cito ſibi ereptum de manibus fuiſſe, & reliquas omneis evanuiſſe ſpes ſuas, nactus naveis quaſdam in litore cum paucis comitibus ex Africa profugit. O pręclarum, & ipſis etiam undis ac litoribus iucundum ſpectaculum, cernere immaniſſimum illum hoſtium ducem, qui paulo ante tantis in Africam claſſibus navigarat, ac iam Italiæ imminebat, cunctis navibus amiſſis, deleto exercito, erepto, quod occupaverat regno, trepidè fugientem! Quare diſperſis ac diſſipatis per finitimas regiones hoſtibus

ſtibus Tunetum, & arcem pulſo iam inde præſidio recepiſti, Regnoque ei, cui ademptum fuerat reſtituto, atque iſto cum eo fœdere ex Africâ deceſſiſti, ut hoſtes quidem virtutem tuam, ſocii vero atque amici fidem, moderationem animi, magnitudinemque, cognoverint. Nunc demum ſentio, quàm grave onus ſuſtulerim, Cæſar, de tuis rebus geſtis dicendi, & commemorandi. Quod enim tantum flumen orationis, quæ tanta dicendi copia, quod tam excellens & inauditum ingenium poteſt exiſtere, quo quiſquam tantas res geſtas, tam illuſtrem memorabilemque victoriam, ſatis dignè non dicam exornare, ſed enarrare poſſit? Quibus porrò honoribus, quibus prœmiis, quibus ornamentis, tua in nos merita, remunerari poterimus, cum ne dicendo quidem illorum magnitudinem conſequi valeamus? Etenim huic urbi, ac toti Italiæ exitium impendebat auctis hoſtium animis, opibuſque novarum acceſſione provinciarum, & capta ab eis oportuniſſima regione ad inferendas Italiæ calamitates. Nam ſi ſuperioribus annis Mauri paucis myoparonibus omnem ferè oram maritimam Italiæ depopulari ſoliti erant, adeo ut ſæpè ad oſtia uſque Tiberina adnavigarent, Vrbemque hanc intercipiendis omnis generis commeatibus propè obſiderent, quid futurum erat, ſi Arriadeno illo, claſſis Turcarum præfecto, in Italiam belli furor, atque impetus, pervaſiſſet? quis hoſte illo aut crudelitate immanior, aut avaritia rapacior, aut ſuperbia intolerabilior, aut omnibus flagitiis, & ſceleribus inquinatior, dici aut cogitari poteſt?

Ecquis umquam tam acriter, tam acerbè cum inimico depugnavit, ut ille iampridem Chriſtianum nomen univerſum inſequitur? Ergo ea peſte ex Africâ, Cæſar, eiectâ, à nobis crudeliſſimas cædes, inauditos cruciatus, exquiſita ſupplicia, teterrimam ſervitutem, à coniugibus & liberis nefandas libidines, ab Italiâ, atque adeo ab univerſâ Rep. incredibiles calamitates, vel potius occaſum, atque interitum, depuliſti. Quamobrem tibi vitam, tibi libertatem, tibi coniugum ac liberorum pudicitiam, tibi patriam, tibi fortunas, tibi Remp. tibi hæc, inquam, omnia grato animo acceptum referimus. Iam abductus fuerat in ſervitutem maximus Chriſtianorum numerus. Tu ad viginti millia eorum uno die é carcere & vinculis emiſiſti. Itaque quæ ipſi per te retinuimus, illi cuncta divino atque immortali tuo beneficio receperunt. Nos tamen hoc tibi obligatiores ſumus, quod quæ illi amiſſa recuperarunt, ea cum nobis propter tuam victoriam ſalvam incolumiaque permanſerint, minimè nos, ut illi, hoſtium ſuperbiam, crudelitatemque, ſubiimus. Iam vero quibus verbis tuam illam novam, atque inuſitatam liberalitatem ac magnitudinem animi, collaudare poſſim? qui expulſum regno, alienum atque abhorrentem à Religione Chriſtiana Regem, confecto bello, ac devictis Turcis, in regno ſuo collocaris, & fidei ac clementiæ laude contentus, illi fructum victoriæ, & præmium laborum ac periculorum tuorum conceſſeris. An non tum hoſtes, non vi & armis modo, ſed quod multo eſt magnificentius, etiam animi altitu-

altitudine ſuperaſti? Illi enim quod ſuum non erat, per ſummam iniuriam dolo ac fraudibus occuparant. Tu quæ iure victoriæ tibi ceſſerant, remiſiſti. Factum iſtud idem olim fuiſſe à Pompeio Magno memoriæ proditum eſt, ut Regem Armeniæ Tigranem ſeſe, ac regnum ſuum, illi dedentem regnare permitteret. Verum multo admirabilior tua, Cæſar, liberalitas fuit: Ille enim non à ſe partum, ſed ſibi oblatum regnum accipere non ſuſtinuit, & tamen Regem non modo grandi pecuniâ, ſed regni etiam parte multatus eſt. Tu maximum atque opulentum imprimis regnum, quod retinere bona fide poteras, quippè quod non Regi abs te ademtum, ſed iniuſtis poſſeſſoribus ſudore, periculis, & ſumtibus tuis, extortũ fuerat, nullâ acceptâ pecuniâ, & ſine ulla diminutione condonaſti. quę nova atque inuſitata liberalitas cum maximam benignitatis, tum non minorem tibi prudentiæ laudem, attulit. Rege enim clariſſimo in amicitiam abs te, & ſocietatem recepto, utrumque es aſſecutus, ut & munitior poſthac ad defendendum Remp. ſis futurus, & omnes, quæ Turcis ſerviunt nationes in admirationem tuæ Iuſtitiæ, liberalitatis, fidei, clementiæque, converteris. Ex quo, nimirum intelligent, quanto meliore conditione ſub tuo mitiſſimo iuſtiſſimoque imperio, quam ſub eorum ſuperbiſſimâ, & iniuſtiſſimâ dominatione vivatur. Porro autem hinc Mauri, inde Turcæ omnia infeſta habebant Italię, Sicilię, Sardinię, Hiſpaniæ, litora, maximo Reip. totius incommodo, quippè cum iam noſtris hominibus nuſquam tutò

navigare negociandi gratiâ liceret. Quis enim locus per hoſce annos tam abditus, aut tàm munitus fuit, quò non illi ſæpius penetrarint, prædas auxerint, homines in ſervitutem abduxerint, omnia ferro, flammaque, vaſtarint? Tu & ingentem illam hoſtium claſſem potitus es, quæ tamdiu noſtros portus, & litora divexerat, & depulſis mari prædonibus, non ſolum nobis quietem, ſed ipſis etiam vndis tranquillitatem peperiſti. Atque hoc bellum tàm grave, tàm atrox, tàm formidoloſum, non per legatos, ſed tuo ipſius ductu, auſpiciiſque, geſſiſti, ac ſine ullo penè detrimento tui exercitus, plus minus quadraginta dierum ſpacio confeciſti. Eant igitur ſi qui veterum Imperatorum res geſtas ita mirantur, ut eas nullo pacto æquari poſſe contendant. Nimirum res tuæ geſtæ, Cæſar, ſive adverſariorum potentiam, ſive diverſitatem regionum, ſive multitudinem bellorum, ſive conficiendi celeritatem, ſive numerum victoriarum, ſpectent, cum quolibet antiquorum, iure optimo, comparari poſſunt. Atque ut reliquas tuas victorias ſilentio prætercam. Omnibus omnium gentium ac nationum ducibus, Romani duces ſine dubio rei militaris gloria præſtiterunt. Porro ex eis Scipionum præcipuè nomen in laude ac celebritate verſatur; quorum alter Carthaginem iamdiu cum populo Rom. duce Annibale belligerantem vicit, alter eam ipſam urbem funditus ſuſtulit. Quis rebus eorum geſtis non tuam iſtam recentem victoriam, Cæſar, iure prætulerit? Illi urbem & bello primo punico afflictam, & eo, quod poſtea cum mercenariis militibus

tibus geſſerat, exhauſtam, domuerunt. Princeps tu omnium Romanorum Imperatorum Turcas opibus atque armis florentiſſimos deviciſti. Illi bellum iam ante ab aliis ducibus affectum, & profligatum, ipſi vix aliquot annis confecerunt. Tu ex bello à te ipſo illato, paucis non dicam annis, nec menſibus; ſed paucis inquam diebus, inſignem, & memorandam victoriam, retuliſti. Illi pro huius urbis unius gloriâ, Imperioq́;, certabant. Tu pro omnium Chriſtianorum ſalute, ac libertate, atque etiam pro Dei ipſius Religione pugnaſti. Poſtremo Carthaginenſium imperium Africa, & pars Hiſpaniæ, terminabat. Turcarum Regno cum tota Aſia, AEgyptus, & Syria, tum etiam magna pars Europæ ſubiecta eſt. Quamobrem quis negabit cognomen Africani tanto tibi iuſtius, quàm Scipionibus deberi, quanto & potentiorem, ac validiorem hoſtem, & breviore temporis ſpacio, ſuperaſti? Nec vero indignentur eorum manes te in Societatem venire præclari cognominis, quod tu clariore multo, & illuſtriore victoriâ, comparaſti. Tu vero cognomine iſto contentùs eſto. Turcici cognomen ad id tempus reſervato, quo Turcicum bellum confeceris. quod ut ſucipias, hortatione tu quidem non eges. Quis enim neſcit te id ipſum bellum iam inde à pueritiâ in animo agitaviſſe, nec dies noctesq́ue, ex quo creatus Imperator es, aliud cogitare, quàm quemadmodum ab hoſtium furore, & crudelitate, Remp. liberes? In quo egregia tua animi pietas, ut ſapientia planè extat, atque eminet, qui propriè Imperatorium munus eſſe du-

cis, non ocio, luxuque, langueſcere, ſed credito-rum à Deo populorum ſaluti, libertatique conſulere, & ex eis rebus laudem, & gloriam petere, quæ ſint cum vera erga Deum pietate, ac Religione coniunctæ. Sed tamen patere breviter commemorari à me, quid omnes à te non efflagitent modo, verum etiam expectent. Etenim exiſtimare debes, Cæſar, poſt tot, tamque illuſtres victorias, in te omnium oculos Chriſtianorum eſſe coniectos. In maximis enim Reip. noſtræ calamitatibus Te, & hunc Paulum optimum ſanctiſſimumque Pontificem propè demiſſos eſſe de cælo arbitrantur, quo afflictam Remp. erigatis, & populos Chriſtianos turpiſſimo ſervitutis iugo oppreſſos in libertatem vindicetis. Noli, Cæſar, per Deum immortalem, noli tantam omnium de te ſpem atque expectationem fallere. Quouſque enim patientiâ noſtrâ hoſtes abutentur? Quouſque terrorem nobis inferent, de ſe nihil timebunt? Aſiam, & bonam partem Europæ, per inertiam ſuperiorum principum occuparunt, campos & flumina ſæpe Chriſtianorum ſanguine, & cædibus, infecerunt. Religionem noſtram, quæ quondam univerſo terrarum orbe viguerat, (etenim quæ ora, quæ Regio, qui in terris locus tam lõginquus, atque abditus, fuerat, ubi non Chriſtiana Religio coleretur? Quę tàm immanis gens, & barbara, quæ non repudiatis Diis ſuis falſis, & commentitiis, veram Ieſu Chriſti, Dei Filij Religionem aſciviſſet?) noſtram inquam Religionem (o labem, o dedecus, o ignominia Chriſtiani nominis!) Anguſtis Europæ finibus incluſerunt.

Nun-

Nunquamne amiſſas provincias repetemus? Nunquamne Chriſtianorum mortes, & iniurias, ultum ibimus? Nunquàm pro aris, pro ſacris, pro templis, pro Religione arma capiemus? toties bello vexati, tot contumeliis laceſſiti nunquam expergiſcemur? ſemper hoſtibus prædæ ac ludibrio erimus? ſed enim Chriſtianis adhuc, Cęſar, non animus, non virtus; ſed Dux & Imperator, defuit. In te omnia, quæ in eo requiruntur, qui ſit Remp. oppreſſam in antiquam dignitatem reſtitutus, ita abundè adſunt, ut diiudicari non poſſit, utrum ſis virtute pręſtantior, an opibus validior, an authoritate, & magnitudine rerum geſtarum, clarior. quę omnia tibi idcirco à Deo tributa ſunt, ut cum tibi ampla & glorioſa, tum eadem ſint Reip. ſalutaria. Quamobrem tuum iſtud munus eſt, Cæſar, tum ad exiſtimationem, tum ad dignitatem, tum ad gloriam tuam pertinet eos hoſtes, à quibus Chriſtiana Reſp. per tot ſecula vexata, & dilacerata eſt, tam pio, quam neceſſario bello perſequi, eorum imperium ex imperii Romani naufragiis auctum excindere, omnes ſuperiorum temporum maculas delere, à miſeris Chriſtianis ſervitutem repellere. Neque ego te hortabor, ut imitere maiores tuos optimos, & amantiſſimos Reip. principes. Neque Caroli illius Magni bella pro ſalute, & dignitate Reip. geſta commemorabo. Neque Gotifredi, & Balduini, neque Matthiæ fortiſſimi atque invictiſſimi Regis Panonię exempla proferam. Cum tu ſuperiores omnes principes, adeo rerum geſtarum gloria, & meritorum in Remp. magnitudine ſuperaris,

ris, ut quem tibi imitandum proponam, clariorem habeam teipſo, neminem. Quare teipſum imitêre oportet, te ſpectes, tecum ipſe certes. fac tuas res geſtas, & eximia in Remp. merita tecum aſſiduè recordere, quæ coegeris evaneſcere omnia, & ad nihilum recidere, niſi in tuendâ Rep. & bello perſequendis hoſtibus, adhibueris æquabilitatem atque conſtantiam. Sed cum ego te ad inferendum Turcis bellum horter, profectò intelligis pro tuâ ſummâ prudentiâ, Cæſar, quid faciendum tibi prius ſit. Antequam enim abs te pia & ſalutaria ſumantur arma enitere atque allabora, ut ab aliis funeſta & pernicioſa ponantur, atque omnes penitus tollantur moræ, quæ te ab inſequendis hoſtibus poſſint retardare.

Præteritę Reip. noſtræ clades ſatis nos iam erudire debuerunt, quantum inſit in inteſtinis diſcordiis, quę non ipſæ modo Remp. lacerant, quod miſerum, & luctuoſum eſt, ſed hoſtibus quoq; noſtras ſemper ſeditiones captantibus, illius invadendæ occaſionem præbent. Quid enim cauſæ eſſe putamus, cur cum omni tempore Chriſtiani virtute & bellandi gloriâ Turcis longe præſtiterunt, tamen tot nobiliſſimas provincias amiſerint? non eas nobis hoſtium virtus, neque arma, ſed amentia noſtra, ſed noſtræ ipſorum diſcordiæ eripuerunt. Dolemus amiſſam Aſiam, noſtris diſcordiis amiſſa eſt. Ereptam Græciam, noſtris diſſenſionibus nobis erepta eſt. Imperii caput Conſtantinopolim ab hoſtibus captam, ipſi inteſtinis bellis occupati, capiendam illis, & diripiendam, tradidimus.

Expug-

Expugnata duo firmiſſima reip. propugnacula Rhodum, & Belgradum, ea verſis in pernitiem noſtram armis expugnari paſſi ſumus. Poſtremo quaſcunque adhuc calamitates perpeſſa eſt Reſp., eas, ſi recte ratiocinabimur, noſtris diſſidiis referemus acceptas. Etenim hoſtes ſimulac Chriſtianos principes bello inter ſe videbant implicatos, tum gaudio exultabant, tum demum ſe optatiſſimam nactos occaſionem putabant infirmiſſimã quamque Reip. partem oppugnandi. ex quo eveniebat, ut eam nudatam omni præſidio, & fruſtra implorantem auxilium Chriſtianorum principum, facilè, ac nullo negocio, expugnarent. Ita alia victoria ſemper gradum ſibi ad aliam extruentes uſque eo imperium ſuum auxerunt, ut niſi hoc tempore ab inteſtinis armis diſcedatur, atque omnes diſcordię, & controverſiæ, piâ, & ſalutari pace, componantur, periculum ſit, ne iam non, ut (ſuperioribus fecerunt temporibus,) Remp. paulatim carpant, ſed univerſam opprimant. Quare per Deum immortalem, Cęſar, pro tuâ admirabili, & ſingulari ſapientiâ, ea remedia excogita, quibus, ſublatis inter te, & Gallorum Regem diſſenſionum cauſis, eoque tecum in gratiam reducto, Remp. miſerrimo, & calamitoſiſſimo bello, liberes, ut pace inter vos facta, coniunctis exercitibus hoſtes, qui iam in ſpeculis ſunt, & huius inter vos impedimentis belli exitum, vel potius initium expectant, primo quoque tempore adoriamini.

DIXI.

Particula quarundam literarum

ANTHONII FLOREBELLI

dè Oratione

C Æ S A R I S

apud Pontif. & Senatum.

CAEſar hodie Româ profectus eſt, cum quidem heri in Senatu præſentibus Regis Galliæ Legatis luculentam, & eius incredibili pietate ac virtute digniſſimam Orationem habuiſſet. Cuius initio cum cauſas adventus ad urbem ſui expoſuiſſet, tum omnia ſigillatim bella memoriter repetens, quę ſibi iam inde à pueritiâ contra ius, & fas, illata ab Rege Galliç fuiſſent, graviter de illius iniuriis & acerbitate conqueſtus eſt ; Cum nihil ſe magis unquam cupiiſſe, atque expetiiſſe diceret, quàm pacem & quietem Chriſtianæ Reip. nihil ſemper vehementius deteſtatum fuiſſe, quam inteſtinas diſſenſiones atque diſcordias, quippe quæ non ipſę modo Remp. lacerent, ſed etiam impios hoſtes ad eam vexandam, & omni immanitate, & crudelitate, dilacerandam, adhortentur. Sed cum pacem, ipſe omnium rerum antiquiſſimam habuiſſet, ac ſummo ſtudio elaboraſſet, ut ea inter ſe, & Regem fieret, quærebatur illius animum omni tempore ab eâ ſummopere abhorruiſſe, neque eum tot cladibus, propè Dei immortalis voce admonitũ, ut aliquando arma pernitioſa deponeret, quieſcere unquã voluiſſe.

luiſſe. Sed alia ex aliis ſerentem bella, & multis ſanctiſſimis fœderibus, quæ inter ſe & illum icta fuerunt, violatis, uſque eo ire, & cupiditati ſuæ ſervire, ut hoc tempore inferre ſibi atrociſſimum bellum, idemq; Reip. Chriſtianæ calamitoſum paret. Quare teſtari ſe Deum immortalem, teſtari Pontificem Max., teſtari Ampliſſ. Senatum, nihil ſe vehementius optare quam ut ab armis diſcedatur, & controverſiæ quæ ſunt inter ſe & Regem componantur, quoque is pacem libentius amplectatur, & aliquando ſecum inimicitias deponat, vni ex eius filiis paratũ ſe eſſe Mediolanum, quæ ſit huius belli cauſa potiſſima, & reliquas huius Pontentatus urbes tradere; modo exploratum habeat fore ut Rex ab omni impoſterum contentione deſiſtat, ac ſecum bona fide in gratiam redeat.

Hæc cum ſumma gravitate & omniũ incredibili admiratione diſſeruit. illud etiam addidit, ſi nulla propter Regis pertinaciam, & eius in ſe infeſtiſſimum animum, ſpes compoſitionis ſit, at videri ſibi Reip. expedire potius quã ex alterutrius illa interitu, exercituum maximam & funeſtam cladem accipiat, ut certe acceptura ſit, ſe ac Regem ſingulari ipſos inter ſe certamine depugnantes, ſuis controverſiis finem ſtatuere. Pro Rep. libentiſſimè caput ſe, & vitam ſuam, omnibus obiecturum periculis, atque etiam ſi ita ſors tulerit, mortem forti animo oppetiturum. Cum finem dicendi feciſſet, Pontifex Max. paucis ei, reſpondit; illam eius eximiam animi magnitudinem, pari erga Deum pietate, & Chriſtianam Remp. ſtudio, coniunctam, aptè ſanè

graviterque collaudans, ac paucis diebus miſſurum ſe legatos ad Regem, qui cum eo de pace agant. &c.

LECTORI BENEVOLO S.

PAnegyricam hanc quam tibi exhibuimus Orationem, Lector benevole, communicavit nobiſcum Medicus excellentiſſimus, Dominus D. IOANNES BACMEISTERVS, *Profeſſor Academiæ Roſtochienſis doctiſſimus, cum diverſorum, Clariſſimorum Italorum Epiſtolis, ex quibus ſuo tempore, cum Deo, aliquot in centuriis Epiſtolarum Virorum Celebrium leges. Interim hanc in anteceſſum cape, & nos favore tuo, quiſquis es, dignare. Bene vale.*

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Errores Operarum,

COl 1. lin. 3. Panegyricus. c. 2. l. 7. conſuetudinem. c. 5. l. 6. detrectarit. l. 7. aufugerit, c. 7. l. 21. ſuſceptum. c. 10. l. 21. ſalva. c. 12. l. 31. Punico c. 13. l. 13. Africa. c. 14. l. 31. O ignominiam l. 32. anguſtis. c. 15. l. 11. reſtituturus. c 16. l. 13. arma, Occurrent & proculdubio alii, quos inter legendum emendabit tuus candor.